

† Fr. I. Bonifatius (Ios. Klofáč) 1863-1950

(Prov. S. Pauli)

Optimus Fr. Bonifatius origine erat Bohemus, natus in Smolov, dioecesis Reginae Gradecensis (*Hradec Králové seu Königgrätz*) 30 Mart. 1863. A. 1894 in domo Dürrnberg Provinciae Germaniae Sup. petiit admissionem ad nostram Congregationem, quae eodem anno iterum in Germaniae finibus legalem suam existentiam recepit, abrogata iniqua lege anni 1873; et eodem anno eadem Provincia suam Missionem transatlanticam in Brasilia fortiter aggressa erat.

Fr. Bonifatius suum tirocinium in Gars incepit 15 Oct. 1895. Etiam cum novitus, mense Augusto 1897 in Bremen navim Koblenz condescendit, in longinquam Brasiliam navigaturus. Catalogus anni 1898 eum ultimum recenset inter 7 novitios domus Campinhas seu Campinas (Goyaz)¹, Demum 3 Maii 1906 Aparecidae ad emitenda vota perpetua admissus est.

Inde ex Decembri 1903 semper erat addictus nostro iuvenatui Aparecidano seu Seminario S. Alfonsi, ibidemque longum vitae cursum finivit 2 Ian. 1950, h. 17,20.

Finis coronat opus quodecumque, etiam opus vitae humanae. Defleto Fr. Bonifatio de fine suae vitae invidere possumus; nam haec de eo narrat R. P. Marinus Plentz, moderator spiritus iuvenistarum, in litteris ad R. P. Roriz datis:

Abhinc sex menses morbo illo laboravit, qui « pulmonites » dicitur. Ipsum in nosocomium portavimus et sacramentum extremae unctionis ei administrare voluimus. At bonus senex dixit mihi: « Nondum est tempus. Cum venerit hora mea, ego dicam vobis ». Et revera, post aliquot dies convaluit et iterum domum nostram iuvenatus petiit.

Sub fine anni praeteriti vocavit me et dixit: « Nunc tempus est: coffea non sapit amplius ». *Der Kaffee schmeckt nicht mehr.* Tunc fecit confessionem, oleo sancto unctus est, viaticum magna cum devotione accepit, mortem alacriter exspectabat.

Confratribus visitantibus dixit se aliquando vidisse B. Virginem, « et apud Ipsam erat Jesus ». Beata Virgo rogavit Dominum ut ipse (Fr. Bonifatius) nunquam amplius peccaret. « Et ab illo tempore (sic candide locutus est) non amplius peccavi ».

¹ De temporibus « heroicis » huius fundationis multa legi possunt in opusculo defleti P. Laurentii Hubbauer. *Quinque lustra Vice-provinciae Bavarae in Brasilia (1894-1919)*, p. 22 ss.

Hora mortis appropinquante, omnibus subridebat, piisque iaculatorias recitabat. Mortuus est magna cum pace et serenitate, anno aetatis suae octogesimo septimo.

« Exsequiae pulcherrimae fuerunt, magno cum populi concursu. Corpus eius ab amicis copertum est floribus.
